



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Apis Argvmentosa P. Georgij Schrötelij**

**Schröteli, Georg**

**Coloniæ Agrippinæ, 1633**

Paradisvs Volvptatis. a. Lignvm Vitæ. b.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46515)

neuolum Lectorem eo remitti. Vt v. g. Mater Viuentium, Mater pulchræ dilectionis, Mater sanctæ spei, Vide in Laurentanis, titulo S. Dei Genitrix. De sequenti, S. Virgo Virginum, idem dicendum.

PARADISVS VOLV-  
PTATIS. *a*

LIGNVM VITÆ. *b*

**P**aradisus erat locus amœnitate ipsa amœnior, varijs arboribus confitus eminentissimo loco, vltra mediam aeris regionem (iuxta Basilium) vbi nulla aeris intemperies: quo nec diluuium pertingere potuit, vt Lactantius Firmianus opinatus est; vbi nulla animalia irrationalia, nullæ maledictionum spinæ, & tribuli, iuxta Damascenum. *c*

I 4

Eccle-

*a* Gen. 2. *b* Ibid.

*c* Lib. 2. de ortho fide.

Ecclesia ergo comparat B. V. paradiso, propter innumera germina gratiarum, Virtutum, prærogatiuarum &c. Ita Rupertus Tuitiensis, super illa verba: *a* Emissiones tuæ Paradisus malorum punnicorum &c. *Quicquid gratiarum, inquit, quicquid Virtutum, quicquid operationum caelestium, Mundus accepit, emissiones tuæ sunt &c.* Sordet Paradisus terrestris, cum hunc aspicio, quod ex quadam antithesi magis elucefcet.

## I.

In illo Paradiso non erat formatus homo, sed ex limo foris creatus, & eò translatus. In hoc vero nostro Paradiso nouus Adam à Deo creatus, non ex rubra terra, sed ex purissimo sanguine Virginis Mariæ.

## 2.

Ibi ex costa viri, plasmata mulier; hic contrario modo, ex muliere vir profectus. *a* Misit Deus filium suum, factum ex mulie-

*a* Lib. 4. in Cant.

*b* Gal. 4.

PARADIS. VOLVPT. 191

muliere. Incarnatus est de Spiritu S. ex  
ex Maria Virgine, & homo factus est ca-  
nit Ecclesia.

3.

Ille Paradisus dæmoni patebat ; hic  
autem clausus immundo Spiritui. Euam  
Dæmon allocutus est ; Mariam autem  
Archangelus Gabriel. Per Superbiam,  
& inobedientiam ibi cecidit Eua : hic  
autem per obedientiam & humilitatem  
exaltata est Maria. *Ecce ancilla Do-  
mini.*

4.

In illo Paradiso Deus risit Adamum  
lapsum , ecce Adam factus est vnus ex  
nobis : in hoc autem ( parce ô æternum  
Numen, ex infinita bonitate, & miseri-  
cordia tua id factum est ) non ridet, sed  
gratulatur sibi homo, dicens, Ecce De-  
us factus est vnus ex nobis, habitu in-  
uentus vt homo, quia *Verbum caro fa-  
ctum est.*

I 5

Ex

a Phil. 2.

5.

Ex illo Adam eiectus est, ne de ligno vitæ comederet, & immortalis fieret: In hoc autem lignum vitæ proponitur, & omnes inuitantur, vt de eo comedant, de benedicto inquam fructu Virginis huius. Si quis manducauerit ex hoc, viuet in æternum. *a*

6.

Ille paradifus custoditus est ab Angelo, ne denuo homo eiectus ingredia- tur: In hunc autem inuitantur omnes: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini,* *b*

7.

Fluuius egrēdiebatur de loco voluptatis, ad irrigandum paradifum. *c* de quo ita Rupertus: *d Sicut in initio fons ascendebat de terra, irrigans vniuersam superficiem.*

*a Ioan. 6.**b Eccles. 24.**c Gen. 2.**d Lib. 4. in Cant.*

perficiem terra, & fluius egrediebatur de loco voluptatis, ad irrigandum paradysum, qui inde diuiditur in quatuor capita: Sic ex te, ô Amica, ô Benedicta, fons ille ascendit, qui apud Deum erat, & in te puteum fecit, ascendit ad irrigandam superficiem terra, ad instruendam, & excolendam Ecclesiam, per vniuersum orbem terra.

Ego quasi aquæ ductus exiui à Paradiso, a Christus scilicet de vtero Virginis. Si quis sitit, veniat ad me, clamabat in Templo, & Samaritanæ laudauit bonitatem aquæ, quam ipse daturus erat. Ad hunc fontem anhelauit Dauid: Quem admodum desiderat ceruus &c. & de plenitudine eius accipimus omnes.

Hic fluius in quatuor alios se diuisit per vniuersam terram. Quatuor illi fluuij sunt lacrymæ Christi in cunis, in suscitatione Lazari, super ciuitatem, & in cruce. Secundò, Sudor in peregrinationibus, & maximè in sua agonia. Tertiò. Sanguis in circumcissione,

I. 6

&amp; alijs

a Eccli. 24.

& alijs mysterijs passionis eius. Quartò, Aqua, quæ ex latere, vna cum sanguine fluxit.

PIÆ CONSIDERATIO  
N. E. S.

**I**Ngredere anima mea. hunc paradifum voluptatis, admirare, frueri varietate florum, odorum, arborum, fructuum. Quis non libenter pascatur inter lilia, quæ candore virgineo Solis nitorem superant? Illa humilitate Virginis, in qua Deus sibi complacuit? Illa obedientia & obseruantia Legis, ac voluntatis diuinæ? illo paupertatis amore? illa patientia laborum, & casuum tam tristium? illa fide supra petram fundata? illa anchora spei? illa inextinguibili charitatis flamma? Quis hac varietate, & fragrantia virtutum non recreetur? Qui raperetur, vt olim Paulus, in hunc Paradifum, & mysteria illa, tam sublimia gustare posset, idem diceret vidisse.

diffē quæ non liceret homini loqui.

2.

Discamus non cum serpente, sed cum Angelo colloquia miscere. ille hominem inflat, decipit, lapsum, & interitum hominis quærit: Angelus autem humilitatem, obedientiam, & alias Virtutes suadet.

3.

Dole, & ingemisce, primos nostros parentes, ex illo paradiso eiectos. Causam scis, expauesce, caue. Gratulare autem tibi, ianuam, ad hunc paradisum, patere, imò nos humanissimè vltro inuitari.

4.

Pete tibi dari de ligno scientiæ, boni & mali, gusta, vt scias reprobare malum, est eligere bonum. Aperientur oculi tui, non tantum, vt videas nuditatem tuam, peccata, defectus &c. vt inde humiliaris: sed & agnosces magna mysteria fidei, vnde crescet tibi spes, & animus, desideriumque collium æternorum, æstuabit

cor tuum dulci amore Dei, & cœlestis patriæ: anhelabis ad fontem aquæ viuæ.

5.

Ecce offertur tibi vltro lignum Vitæ; benedictus inquam fructus huius Virginis, qui de hoc gustat, non videbit mortem in æternum. *Gustate, & videte quoniam suavis est Dominus: mens impletur gratia, & futura gloriæ nobis pignus datur.*

6.

Peculiariter autem lignum vitæ est arbor Crucis, in qua salus nostra pependit. Imitare Sponsam, dicentem, sub umbra illius, quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.

Quatuor causæ sunt, cur ad arborem aliquam accedamus. Prima est vt aspiciamus cum voluptate eius elegantiam, viriditatem, fructus &c. Accedamus, inspiciamus per orationem, & pias meditationes eius pulchritudinem. Ex solo aspectu sanari poterimus, sicut in ænei serpentis exaltatione. Se-

a Cant. 2.

Secunda. In æstu vmbra eius quæri-  
mus. Si grauamur æstu cupiditatum, &  
onere carnis, sæculique tædio &c. *Venite  
ad me omnes, qui laboratis, & onerati  
estis & ego reficiam vos.* Quam dulce est  
lasso viatori sub vmbra opacæ arboris  
conquiescere, & respirare? *Aspicite in  
auctorem fidei & consummatorem I E-  
SVM &c. vt non fatigemini animis ve-  
stris.*<sup>a</sup>

Tertia, in pluuiâ, & grandine etiã sub  
arborem confugimus. *Sub vmbra ala-  
rum tuarum protege me. Sub tuum præsidi-  
um confugimus S. Dei Genitrix.*

Quarta, Vt fructum decerpamus, &  
gustemus. Ah quot pulchr i fructus S.  
Crucis? *Vincenti dabo edere de ligno vi-  
tæ, quod est in paradiso Dei mei.*<sup>b</sup> Perseue-  
rantia opus est: gustarunt Apostoli dul-  
cedinem huius fructus, gaudentes inter  
flagra, & opprobria, S. Andreas, Paulus,  
Ignatius Martyr, Laurentius &c.

ORA-

<sup>a</sup> Heb. 12.

<sup>b</sup> Apoc. 2.

## ORATIO.

**A**Hquam bene est animæ meæ, O dulcissima Virgo Maria, quando in hoc paradiso voluptatis obambulo, contemplans varietatem, & sublimitatem tot gratiarum ac Virtutum, quibus Angelis ipsis præemines, spiritualibus diuitijs ac delitijs affluens. Ah admitte me indignissimum, vt pascar inter lilia tua, & fructus carpam dulcissimos, mihi tā salutare: Da mihi de ligno scientiæ boni & mali, vt agnoscam, quid proffit, quid desit animæ meæ: aperiantur oculi mei, vt Creatoris mei voluntatem, & beneplacitum intelligam, illudque summo studio, & conatu perficiam. Da mihi de ligno Vitæ, benedicto inquam fructu ventris tui, vt vitam habeam, & abundantius habeam, eoque perpetuo frui possim. Arescit anima mea sicut terra sine aqua. *a* Quis mihi det cum sitiente

*a* 2. Reg. 23.

fitiente Dauide , non de cisterna illa in Bethlehem, sed de fonte illo viuo, qui in beatissimis tuis visceribus ortus est , & in quatuor Orbis partes, Mundum inquam vniuersum sese diuidens, eum largissimè irrigauit. Audio hunc fontem in Templo clamantem, si quis sitit, veniat ad me: *a* Ecce adsum, O dulcissima Virgo, admitte me, vt de hoc fonte gustem, & reficiar, virèsq; meæ instaurentur. Sonet vox tua in auribus meis, confide fili, tandem mecum eris in paradiso. Accipio spe magna, cum pœnitente latrone solatium , & glorifico te Beatissima Virgo, Quæ in cœlis coronata triumphas in omnem æternitatem, Amen.

Porta Cœli ; Vide in Lauret. Ianua Cœli. pag. 127.

DE

*a* Io. 7.